

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

Calixt, Georg

Helmestadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Dispvtatio II. De deo patre, filio et s. spiritu

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](#)

4 DE DISTINCTIONE
DISPVATATIO II.
DE DEO PATURE, FILIO
ET S. SPIRITU.

THESIS I.

Superiore disputatione, quod in divinis unitas essentiae & trinitas personarum sit, ostendimus; diximusque mysterium id esse, cui indagando aut demonstrando nihil conferre possit humana ratio; totum autem niti revelatione cœlesti, præcipue quam nobis unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Atque inde quidem, quod ita fæseres habeat, simpliciter cognoscimus: ulteriora autem, sive quomodo talia sint, distinctione non penetramus. Siquidem nunc ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit per se etiam, id quod ex parte est, abolebitur. Videmus enim nunc per speculum in ænigmate: tunc verò à facie ad faciem. Chrysostomus rectè & pulcrè explicat, quum inquit: Non abolebitur quidem scientia, sed definet esse non-perfecta: nec enim intra hos fines scientia tum se nostra continebit, sed amplius progredietur. Atque ut exemplo rem magis lucidam faciamus. Deum ubique esse, nunc quidem scimus: quo modo sit, porrò nescimus. Item quod ex his, quæ non erant, fecit, quæ sunt, scimus: quâ fecerit, non scimus.

II. Contenti itaque erimus illâ, quâ nos Filius Dei dignatus est revelatione, ita ut unius ejusdemque essentiæ tres verè & realiter distinctas personas credamus, & confiteamur, & defendamus contra quoscumque orthodoxæ veritatis hostes.

III. Præreas & Hermogenes primi realem personarum distinctionem negasse evidetur, quum intelligere non

Io. 1,18.

1. Cor. 13, 9
10. 12

hom. 34. in
1. Corinth.

non possent, quomodo ea cum unitate essentiae consistet. Tertullianus (sed jam Montani somnia amplexus) librum contra Praxeam scripsit, qui exstat; eumque primum esse autumo, in hoc genere Latino sermone editum.

IV. Noëtum ante suam ætatem cxxx plus minus annis ortum scribit Epiphanius. Ille renovavit hæresin, quam juxta Theodorenum quidam Epigonius nomine primus peperit; Cleomenes autem acceptam confirmavit. Noëti discipulus fuit, scribente Philastro, Sabellius; cuius dogma tale fuisse narrat Theodoreetus, secessatores ei tribuens Marcellum & Photinum alijs nominibus Sabellij sensum prædicantem. *Dicit Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unam esse personam, quæ tria habeat nomina, & eundem aliquando quidem vocat ut Patrem, aliquando autem ut Filium, aliquando verò ut Spiritum Sanctum: Et in Veteri Testamento, ut Patrem legem tulisse, in Novo ut Filium hominem factum esse, & ut Spiritum Sanctum ad Apostolos venisse.* Unde quoque Patripassiani illi nominati sunt, quod Patrem incarnatum & passum esse dicent.

V. Convincuntur abundè ex notionibus sive proprietatibus & relationibus illis, de quibus suprà. Patris enim proprietas est gignere; Filii verò gigni; Spiritus autem procedere. Estque vera relatio inter Patrem & Filium, ut etiam inter Spiritum & eos à quibus procedit. Impossibile est igitur eamdem personam gignentem esse & genitam, spirantem & spiratam. Nam qui accipit esse ab alio, necessariò reipsâ ab eo distinguitur: neque enim fieri potest, ut aliquis producatur à semetipso. Quoniam igitur Filius suum esse accipit à Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque, necesse est Patrem, Filium & Spiritum Sanctum reipsâ inter se distingui.

VI. Se-

1.2. tom. I.

hær. 57.

1.1 hær. fab.

1.2. hær.

fab.

VI. Secundò sunt dicta Scripturæ, quibus hæ tres personæ tamquam planè distinctæ nominantur & numerantur. Matth. xxix. *Baptizantes eos in nomine Patris, Filiij & Spiritus Sancti.* 1 Cor. ult. v.ult. *Gratia Domini Iesu Christi, & caritas Dei & communicatio Sancti Spiritus.* 1 Joan. v. 7. *Tres sunt, &c.*

VII. Tertiò Christus ipse de Patre loquens manifestè Alius, inquit, est qui testimonium perhibet de me. Ioan. 3.52. Et de Spiritu: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum datur vobis.* Basilius ex hoc loco argumentatur: *Filius itaque est rogans; Pater qui rogatur; Paracletus vero qui mittitur.* Annon igitur manifestè impudens es, inquit, Sabellium increpans, qui cum audias EGO de Filio, ILLUM de Patre, ALIUM de Spiritu sancto, omnia misces, omnia confundis, & uni rei omnes hasce adpellationes imponis? Ubi notandum, quod Alius personam propriè; Aliud essentiam significet; ideoque locum habeat in Trinitate juxta Nazianzenum *Alius atque Alius, ne personas confundamus: non autem aliud atque aliud, quoniam tria quoad divinitatem unum idemque sint.*

VIII. Quartò nisi vera foret inter personas distinctione, nullo modo citata dicta explicari, aut à monstrosâ nugatione liberari possent: quemadmodum nec complura alia, Eph. 11, 18. *Per Ipsum habemus accessum ad Patrem in uno Spiritu.* Item ea, quibus una persona apud alium vel in aliâ esse dicitur. Joh. 1, 1. *Verbum erat apud Deum. vers. 18. Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Cap. x, vers. 38. *In me Pater, & ego in eo.* Cap. xvi 1, vers. 10. *Ego in Patre, & Pater in me est.* quibus loquutionibus indicatur intima & perfecta unius personæ in aliâ inhabitatio, quam περιστοιχία Damascenus, Scholastici Doctores Circumincepcionem adpellant.

IX. Re-

IX. Rejectâ itaque & ex sacris literis devictâ confusione Sabellianâ cum Bernhardo dicamus tres, non ad præjudicium unitatis; dicamus unum, non ad confusione trinitatis; dicamus, inquam, realiter distinctos sine præjudicio idem trinitatis: & pergamus nunc ad singulas personas, ut, quod superiore disputatione promisimus, divinitatem Filij & Spiritus sancti peculiariter demonstremus.

X. De PATRE enim non opus est; quum adversarij non negent, immò verò pro gloriâ & excellentiâ Patris pugnare contendant, ne videlicet pluribus divinitatis maiestas conimicata dicatur. Verùm non vident miseri, quòd Filium negando, Patrem quoque negent; vnumque e tribus evertendo, totum evertant, aut potius à toto excidant. *Cum de Filij contumeliam honoras Patrem, ait Augustinus, & Filium offendis & Patrem.*

XI. Quòd autem Pater verè generet, inde liquet, quoniam verus Pater est, veraque est inter ipsum & inter Filium relatio. Non tamen omnia ea, quæ ad naturalium rerum generationem concurrunt, in divinâ reperiri possunt aut debent, nempe contraria dispositio agentis & patientis, illiusque in hoc actio; & inde formæ substantialis è potentia in actum productio. *Diligenter consideranti, ait Basilius, palam sit, non corporeæ passionis primò & propriè Patris ac Filij nomina sensum facere solere: sed solum ex seipsis cùm dicuntur quam inter se habeant habitudinem ostendere.* Pater enim est, qui effendi principium alteri secundum similem sibi naturam præbuit: *Filius verò, qui ab altero effendi principium per generationem habuit.* Sic enim ipse Filius: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Verè igitur Pater Filio dat esse per generationem, & verè Filius illud accipit: unde consequitur

1.5. de con-
fid. c. 8.

PATRIS
DIVIN-
TAS.

serm. 51. de
verbis Do-
mini.

1.2. cont.
Eunom

Ioan. 5, 26.

C

vera

vera utriusque relatio & distinctio, & perfectissima adfamilatio, scilicet in idemtitate essentiæ. Inde symbolum Nicænum : DEUS DE DEO.

XII. Quoniam itaque à Patre Filius est, nec non Spiritus sanctus, rectè ei nomen Principij à veteribus Ecclesiæ doctoribus attributum fuit. Principium enim dicimus id, à quo est aliud. Græci verò etiam Caussam dixerunt : prudenter tamen admonuit Thomas, principium potius dicendum esse. Causa siquidem propriè diversitatem quamdam naturæ, quæ nulla hîc est, indicat. Ne igitur occasio detur erroribus, conuenientiore vocabulo, quod præsto est, rectius utemur. Quin imò, quantò aliquod nomen, inquit, communius est, tanto convenientius accipitur in divinis : quia nomina, quantò magis specialia sunt, tanto magis determinant modum convenientem naturæ.

XIII. Sed hoc quoque notandum est, principium Patri hîc tribui notionaliter, hoc est, quatenus habet respectum ad alias à se procedentes personas. Nam principium est Deus omnium omnino creaturarum : hoc verò modo essentialiter sumitur & non soli Patri, sed Filio quoque & Spiritui Sancto convenit. At quando consideramus ordinem originis ad intra, sic proprium est Patris, respectu Filij; commune Patri & Filio, respectu Spiritus sancti, (ut postea docebimus) cui quidem hoc pacto accommodari non potest. Sed neque respectu essentiæ notionaliter ullo modo accipi debet : ea enim neque gignit, neque gignitur, neque mittit, neque mittitur. Contrarium docuisse Joachimum quemdam Abbatem testatur Concilium Lateranense sub Innocentio III A.C. c. ccxv celebratum : verum is (si ita se res habet) male P. Lombardum oppugnabat, ut non male ea sententia

I. quæst. 33.
art. 1.

cap. 2.

tia etiam post mortem auctoris à Concilio damnata fu-
erit.

XIV. Nequeverò ob hanc principij aut originis ra-
tionem Filius re ipsâ & quò ad essentiam minor est Patre,
aut utroque Spiritus sanctus. Pulcrè enim Hilarius: *Sz 1.9.de Trin.*
donantis auctoritate Pater major est, numquid per domi confes-
sionem minor Filius est? Major itaque donans est, sed minor jam
non est, cui unum esse donatur. Quinimò secundum Augu-
stinius quia ille Pater est, ille Filius, nullo modo impedit ut cre-
damus æqualem Patri esse Filium & consubstantiam & coæ-
ternum. Atque sic exponit verba illa Christi, (*Pater ma-*
ior me est,) Basilius; nempe, *ut eo quod Pater est, major esse*
intelligatur. Nam quoniam à Patre origo est Filius: *hoc major*
est Pater, quod causa est atque origo. Et Athanasius: *Πατὴς*
μείζων, ἡ μεγέθει τοῦ ὑπὸ χερσών ἀλλὰ διὰ τῶν ἐξ ἀντέρος γέννησον.
Item Nazianzenus orat. IV. Et Chrysostomus in hunc
locum: *Quod si quis majorem Filio Patrem, in quantum princi-*
vium, diceret, neque hoc contradiceremus: non tamen id alterius
facit Filium esse substantię. Quamquam Cyrillus & Augu-
stinus hæc verba enarrantes suscepctæ humanæ naturæ
adcommodant.

XV. FILIUS ὁ λόγος Joanni, ut rectè & piè Ignati-
tius, ὁ πνεὺς ἀλλ' ἡ σούσθης. Verùm quur λόγος dicatur, non
credo exactè & distinctè à quoquam explicari posse.
Quid tamen Athanasius orat. III. contra Arianos; Basilius
sermone super verba: *In principio, &c.* Ambrosius lib. IV. de
fide ad Gratianum c. III. August. de fide & symbolo c. III. de
hac adpellatione senserint & scripserint, apud ipsos vide-
re licet. Sic neque quomodo se habeat divina Filij gene-
ratio, explicare possumus: *Licet scire, ait Ambrosius,*
quod natus sit; non licet discutere, quemadmodum natus sit. Et

FILII
DIVINI-
TAS.
ep. ad Ma-
gneſ.

1. de Fide
cap. 5.

DE DIVINITATE

20

erat 4. Nazianzenus, Dei generationem, inquit, cum silentio veneremur. Magnum quid tibi sit intelligere, quod sit genitus. Quo autem modo, id ne angelis quidem cogitandum, tantum abest ut tibi permittamus.

XVI. Divinitatem ⁷⁸ λόγον Diabolus per sua organa mature cepit impugnare. Nam imperante Trajano, vivo adhuc Joanne Apostolo, excitavit Cerinthum, qui doceret Jesum fuisse Josephi & Mariae filium, similiter ut reliqui omnes homines, & plus potuisse justitiā & prudentiā & sapientiā prae omnibus, & post baptismum descendisse in eum Christum ab eā principalitate quae est super omnia, figurā columbæ: in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, & Jesum passum esse, resurrexisse, Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritalem. Verba sunt Irenæi lib. I. cap. XXV. Idem juxta eundem sensit Carpocrates, Jesum ē Joseph natum, & qui similis reliquis hominibus fuerit, distassæ ab alijs, quod anima ejus firma & munda esset. Et Ebion secundum Eusebium, à quo Ebionæi, id est, mentis & intelligentiæ inopes, quippe qui de Christo & ejus doctrinâ tenuiter & abjectè statuerent & opinarentur, nempe eum simplicem, vulgarem & non nisi hominem censemtes. Joannes itaque novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Afriæ Episcopis, adversus Cerinthum aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui adserunt Christum ante Mariam non fuisse, unde & compulsus est divinam ejus nativitatem edicere. Ita Hieronymus in Catalogo.

XVII. Idem docuit temporibus Severi Artemon, qui & Artemas, testibus Augustino de Eccles. dogm. c. LII. & Eusebio lib. V. hist. cap. vlt. & Theodoreto lib. II. hær. fab. cuius successor juxta Nicephorum Theodosius coriarius Byzantinus. Beryllus quoque Bostrorum Arabiæ episcopus,

lib. 4. c. 21.

pus, celebris alioquin doctor, in hæresin Artemonis pro-lapsus est; sed ab Origene conuictus & ad Ecclesiam reductus. Vide Eusebium *hist. l. VI. c. XXVI.* Hieronymum *in Catalogo cap. LX.*

XIX. Paulus è Samosatâ Syriæ urbe oriundus vixit temporibus Galieni, Claudij & Aureliani Imperatorum. Mortuo Demetriano electus est in Episcopum Antiochiæ. Is ambitione elatus, ut vult Eusebius; sive quò, ut narrat Theodoretus, Zenobiæ, quam Persæ devictis Romanis Syriæ & Phœniciæ gubernatricem dederant, cum Judæis sentienti gratificaretur, Artemonis hæresin renovavit, & divinitatem Christi negavit. Contra hunc aliquot Concilia Antiochiæ coacta: & tandem sub Aureliano A. C. **CCLXXIV** in postremo concilio Episcoporum numero propè infinitorum Malchion scholæ humioris literaturæ quæ erat Antiochiæ magister, vir cùm in alijs disciplinis disertus, tum in sapientiæ studio eximius, disputationem contra hominem instituit, eumque integumentis dissimulationis evolvit, & omnium oculis subjecit. Conviictus itaque communī consensu palam condemnatur, & è Catholicâ Ecclesiâ penitus exturbatur. Ita narrat Eusebius *lib. hist. VII. cap. XXIII.* Vide etiam de eodem Epiphanium *lib. II. tom. II. hær. LXV.* & Philastrium & Augustinum *in Catalogis suis*; qui addunt Photinum quoque in omnibus Pauli doctrinam sequutum fuisse.

XIX. Hactenus indoctus & absurdus fuit Diabolus; neque enim hæc portenta dogmatum adversâ fronte cum sacris literis pugnantia ullo modo defendi poterant. Verum nihil ille remittere, neque animum despondere. Imperante Constantino Magno nactus est idoneum suis

DE DIVINITATE

22
machinationibus organum, Arium, presbyterum Alexandrinæ ecclesiæ, hominem vafrum & turbulentum, qui cum videret Alexandrum ad episcopatus gubernacula designatum, invidiæ flammarum, quâ incendebatur, minimè reprimere, sed eâ vehementius inflammatus materiem contentionis & discordiæ indies aucupari laboravit. Verba, quibus utor, sunt
l.s.hist.c.2. Theodoreti; ex quo plura de occasione cognoscere promptum est.

XX. Ille quidem non negabat Filium fuisse ante Mariam, sicuti olim fecerant Cerinthus & Ebion: verum ut quodnam propriè ejus dogma fuerit, intelligatur, adscribemus ipsum ex epistolâ Alexandri Episcopi Alexandrini, quæ exstat apud Socratem lib. I. cap. II. & inde repetitur à Nicephoro lib. IIX. cap. IIX. & in Tripartitâ lib. I. cap. XIII. Quæ contra scripturas excogitarunt, inquit ille, hæc sunt: *Non semper Deus Pater fuit, non semper fuit Dei verbum: sed fuit, quando Deus Pater non fuit, Dei autem verbum ex non existentibus factum est. Existens enim Deus non existentem ex non existente fecit. Quapropter fuit aliquid, quando non fuit. Creatura enim & factura est Filius, neque similis est Patri secundum substantiam.* Item: *Propter nos factus est, ut nos per eum, tamquam per instrumentum crearet Deus: & nequaquam substitisset, nisi nos Deus facere voluisset.* Eadem sententiae inveniuntur in ipsius Arij ad Eusebium Nicomedensem epistolâ, apud autores jam citatos, & Theodorétum legendâ. Ei, Alexandrum dicit, minimè adsentimur, publicè prædicanti in hunc modum: *Semper Deus, semper Filius: simul Pater, simul Filius: simul cum Deo Patre ingenito Filius est: semper genitus est: ab ingenito genitusest: & tamen neque cogitatione neque individuo aliquo temporis punto Deus Pater Filium antegressus est: sed semper*

per Deus Pater, semper Filius, ex ipso Patre existens Filius.
 Addit enim, se ideo dicere eum nihilo existare, quoniam
 neque sit pars Dei, neque ex ullo subjecto existat. Ad-
 scribam quoque verba, quae Athanasius ex libro ejus
 quem Thaliam nominaverat, allegat: οὐκ ἡτοί ὁ θεὸς πατὴρ λόγος,
 ἀλλὰ λόγος τοῦ θεοῦ μόνος λόγος, καὶ ὁ πατὴρ λόγος, ὑστερούσης ἡπειρούς γένοντος πατήρ,
 εἰς τοῦ λόγου ὁ ὄντας πάντων καὶ πάντων ὄντων κομμα-
 τον καὶ ποιηταν γενομένων, καὶ αὐτὸς ὁ τοῦ θεοῦ λόγος ἐξ αὐτοῦ ὄντων γέγονεν.

orat. 2. cons.
Arian. ab
init.

XXI. Contra blasphemata hæc dogmata, eorumque
 auctorem & propugnatores celebrata est synodus cœcu-
 menica prima in urbe Bithyniaæ Nicæa, in quam mandante
 & curante Imperatore Constantino Magno convene-
 runt Episcopi juxta Eusebium ccl; juxta ceteros aucto-
 res, ccxxix. Hi Arianum dogma examinarunt, re-
 futarunt & damnarunt, suæque fidei & doctrinæ confes-
 sionem, quæ etiamnum hodie titulo Symboli Nicæni ce-
 leberrima est, ediderunt. A. C. ccxxv Imperij Con-
 stantini xx. Coss. Paulino & Juliano. De hac synodo le-
 ge Eusebium *de vita Constantini* l. I. c. VI. & seqq. Theodo-
 retum lib. I. c. VII. Socratem l. I. c. V. Sozomenum l. I. c.
 XVI. Nicephorum l. IIX. c. XIV. Tripartitam *initio libri II.*
 & Athanasium *epistola de decretis hujus synodi.*

I. 3. de vita
Const. c. 9.

XXII. Nihilominus hæc flamma longo tempore
 extingui non potuit. Neque enim mentem mutavit aut
 emendavit Arius (mortem ejus lege apud Theodor. l. I.
 c. XIV. & Sozom. l. II. c. XXIX.) neque defuerunt, qui i-
 sta dogmata amplectentur & tutarentur: inter quos po-
 steris temporibus præcipui fuerunt Aërius è Ponto o-
 riundus: Aëtius Cilix, cuius discipulus Eunomius Cap-
 padox, unde novum nomen Eunomianorum, qui & Ano-
 mæi. Vide Epiphanius lib. III. tom. I. Turbas autem de-
 derunt Ariani longè maximas, quum ipse quoque Con-
 flanti-

DE DIVINITATE

stantinus favere eis c^eperit; & postea in suas partes pertraxerint ejus filium Constantium Augustum, & Valentem Imperatorem, & Valentiniani matrem Justinam, plurimum negocij Ambrosio faceſſentem; nec non Gothorum & Vandalorum gentes & Reges.

XXIII. Eadem hasce impieates patrum memoriā ex orco revocare c^eperunt Michaēl Servetus Arrago, & Valentinus Gentilis Italus. Et hic quidem ad Arium, ille ad Samosatenum propius accessisse videtur. Docuit enim inter complures alios errores (è quibus tamquam monstrum aliquod compositus fuit) Christum ante incarnationem nihil fuisse nisi in mente Dei per ideam; Deumque esse non aeternum, sed temporalem & factum; nec naturā, sed gratiā & inhabitacione. Combustus est Genevæ A.C. cⁱo i^o l^v. Gentilis Filium quidem ab aeterno & ex substantiā Patris genitum concessit; quod quamquam negabat Arius, posteriores tamen Arianos non negasse notat Augustinus, & fatetur apud eundem Maximinus: nihilo autem minus cum ijsdem statuit Filium Patre longè inferiorem, & Patrem solum verum Deum esse, & essentialem, ut loquebatur, Filium & Spiritum sanctum essentiatos. Capite truncatur Bernæ Helvetiorum A.C. cⁱo i^o l^{xvi}. Utriusque discipuli & adseclæ etiamnum profanas magistrorum doctrinas tutantur, & per Poloniam, Transylvaniam & Hungariam disseminant.

XXIV. Contra hosce cūm veteres tum novos hæreticos, Christi Dei perduelles, aliquot argumentis ex sacrā Scripturā deponitis divinitatem Christi demonstrabimus.

XXV. Primò colligitur & concluditur ea ex locis quampluribus, quibus Filius Dei appellatur, & quidem, ut ab

L. de Trin.
cap. I.

ab alijs, qui gratiā aut officio Filij sunt, distinguatur, Unigenitus, *Joan. I. v. 3. & 16.* Proprius, *Rom. IIX, 32.* ante secula genitus, *Psal. II, 7.* Quidni enim sicut hominis filius verus homo est, tantò magis Dei Filius verus Deus sit?

XXVI. Secundò idem evincunt loca utriusque fœderis, quæ Christo Dei nomen & essentiam simpliciter & absolutè expressis verbis tribuunt. E Vetere nulla nunc adducemus, ea enim robur suum sortiuntur, quando à Novo citantur & Christo adplicantur. E Novo autem hæc notentur. *Luc. I, 16.* Angelus ad Zachariam de Joanne Baptista inter cetera : *Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum.* Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ. Baptista vero ante Christum præcessit, & ad Christum convertit filios Israël. *Joan. I, 1.* Deus erat verbum. *Joan. xx, 28.* Respondit Thomas & dixit ei : *Dominus meus, & Deus meus.* *Act. xx, 28.* Ecclesiam Dei, quam adquisivit sanguine suo. *Rom. ix, 5.* Quorum sunt patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia DEUS benedictus in secula. *I Cor. XI, 8.* Si cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent. *Tit. XI, 13.* Exspectantes beatam spem, & adventum gloriae magni DEI & Salvatoris nostri Jesu Christi. *I Joan. V, 20.* Hic est verus DEUS & vita æterna. cap. IIII, vers. 16. In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.

XXVII. Tertiò adducimus loca, quæ docent Filium per omnia & in omnibus æqualem, adeoque esse suo Patri. *Joan. V, 10.* Patrem suum dicebat Deum, & qualem se faciens Deo. *Joan. X, 29.* Ego & Pater unum sumus. *Joan. XIV, 1.* Creditis in Deum, & in me credite. vers. 7. Si cognovissetis me, etiam Patrem meum cognovissetis. vers. 9. Qui videt

DE DIVINITATE

26

videt me, videt & Patrem. vers. 10. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Joan. XVI, 15. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. Joan. XVII, 10. Mea omnia tua sunt, & tua mea. Philip. II, 7. Qui cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo. I Joan. V, 7. Hi tres unum sunt.

XXIX. Quartò formamus invictum argumentum ex collatione locorum utriusque Testamenti, quando ea quæ in Vetere indubitate ipsis Judæis & adversariis concedentibus de nullo alio quam Deo Israëlis, quem solum & verum Deum esse volunt, loquuntur, in Novo de Christo exponuntur, deque ipso dicta esse adseruntur. Atque vim hujus argumenti Ariani & quicumque utrumque testamentum recipiunt, declinare non possunt. Formato enim syllogismo, ejus Major conceptis verbis Veteri, & Minor Novo continebitur. I. Num. XXI, 6. dicitur Jehovah immisisse serpentes ignitos in populum loquutum adversus Deum & Moseh. At hoc Paulus Christo attribuit I Cor. X, 9. II. Psal. LXIX, 19. de Deo, cuius currus viginti millia, millia Angelorum, dicitur: *Ascendi in altitudinem, duxisti captiuam captivitatem, acceperisti dona hominibus.* Paulus hoc de Christo dictum testatur, Eph. IV, 8. III. Epistola ad Hebreos Christo ad�licat, quæ de Jehovah & vero Deo cauant Psalmi XLV, 7. XCVII, 8. CII, 26. CX, 1. IV. Psal. XCV, 7. de Jehovah factore nostro, qui Deus noster, & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus, in hunc modum: *Hodie si vocem ejus audiveritis, nolite obdurare cor vestrum, sicut in contradictione, sicut in die temptationis in deserto.* At Spiritum sanctum hoc de Christo dixisse testatur eadem epistola, cap. III, vers. 7. V. Jesaias cap. VI Sanctum Dominum

minum Deum Sebaoth in maiestate & gloria tremenda conspicit. At Joannes eum gloriam Christi vidisse, & de Christo loquutum esse, disertis verbis adfirmat, cap. XII, vers. 41. VI. Jes. 11x, 13. Jehovah Sebaoth lapis offensionis esse dicitur, & petra scandali duabus dominibus Israël. At hunc lapidem, hanc petram Christum esse, dicit Paulus Rom. ix, 33. & Petrus i Ep. 11, 8. nec non Simeon Luc. 11, 34. VII. Jes. XL, 3. *Vox clamantis in deserto: Complanate viam Jehovah, reclam facite in solitudine semitam Dei nostri.* Quod haec vox clamans sit Joannes ille Baptistes, testatur ipse apud Evangelistam Joannem c. 1, vers. 23. & Matthæus 111, 3. Marcus 1, 3. Lucas 111, 4. Christus itaque, cui viam complanavit Joannes, Jehovah erit. IX. Idem evincitur ex eo, quod Jehovah Deus Israël apud Malachiam cap. 111, vers. 1. dicit: *Ecce ego mitto Angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam:* atque de eodem Joanne exponit Marcus cap. 1, vers. 2. & ipse Christus apud Matthæum xi, 10. & Lucam VII, 27. Nam nemini viam præparavit Joannes nisi Christo, unde parens ejus Zacharias: *Præbis ante faciem Domini, parare vias ejus.* IX. Jes. XLV, 23. Jehovah, præter quem non est Deus, Deus justus & salvans jurat: *Michi curvabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua.* At hoc de Christo scriptum esse Paulus ad severat Rom. XIV, 11. Phil. 11, 10. X. Joël. 111, 1. Dominus Deus, Effundam, ait, *Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiae vestræ.* Petrus Act. 11. ubi ista citarat, postea subjungit: *Iesus dextrâ Dei exaltatus, & promissionem sancti Spiritus accipiens à Patre, effudit hunc, quem nunc vos videtis & auditis,* vers. 33. XI. Zachar. 111, 10. Jehovah extendens celos, & fundans terram, & formans spiritum

Luc. 1, 70.

hominis in interiori ejus, inter cetera adspicent, inquit, ad me, quem transfixerunt. At Christus ille fuit, ad quem transfixum adspexerunt, & cui haec convenient: cujus rei testem damus oxani exceptione majorem Joannem cap. xix, vers. 37.

XXIX. Quinto quoniam Christo in sacris literis divina essentialia attributa tribuuntur, neque de eo poterit negari divina essentia. Tribuuntur autem ei I. Aeternitas. Psal. 11, 7. Ego hodie genui te. Mich. v, 2. Egressus ejus ab initio, à diebus aeternitatis. Joan. 1, 1. In principio erat Verbum. Joan. xvii, 5. Glorifica me Pater apud temetipsum gloriam, quam habui, priusquam mundus fieret. Hebr. xiii, 8. Jesus Christus heri & hodie, & idem etiam in secula. Apoc. 1, 8. xxii, 6. xxii, 13. Ego sum & ο. II. Immensitas. Joan. 111, 13. Nemo descendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo. Matth. xix, 29. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego in medio eorum. III. Omnipotentia. Joan. ult. Tu Domine omnia nostri. Coloss. 1, 3. In Christo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi. IV. Omnipotentia. Apoc. 1, 8. ὁ ἦν ρώπος ὁ ὢρας ὁ ἐρχόμενος, ὁ πατρὸς ἡγετός.

XXX. Sexto operationes, quæ non nisi à solo Deo procedere possunt, Christum Deum esse abunde probant. I. Creatio, de quâ Deus ipse Jes. xliv, 24. Ego Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, expandens terram meam potentiam. Et Jerem. x, vers. 11. quem Chaldaeo idiomate unum reliquis interseruit: DI, qui cælos & terram non fecerunt, pereant de terra & de sub cælo. Creatio autem manifestò tribuitur Christo Joan. 1, 3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Coloss. 1, 6. In ipso condita sunt universa in cælis & in terra &c.

rā &c. Hebr. 1, 2. Per quem & secula condidit. & vers. 10. ex
 Psal. cii, 26. Tu in principio Domine terram fundasti, & o-
 pera manuum tuarum sunt celi. I Cor. ix, 6. Unus Dominus
 Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. II. Conser-
 vatio. Coloss. 1, 7. Omnia in ipso consistunt, Hebr. 1, 3. Por-
 tans omnia verbo virtutis suæ. III. Cooperatio. Joan. v, 17.
 Pater meus operatur, & ego operor. vers. 19. Quodcumque enim
 Pater fecerit, & hæc Filius similiter facit. IV. Salvatio, à
 quâ nomen sibi esse voluit. De hac autem Ies. XLIII, 11.
 Ego sum Dominus, & non est absque me Salvator. Hos. xiiii, 4.
 Ego sum Dominus Deus, & Salvator non est præter me. V.
 Prædictio futurorum, ad quam ipse Iehovah cum idolis
 contendens provocat: Adnunciate, inquit, futura, & scie-
 mus quod DI es̄tis, Ies. xli, 23. Christus autem: Hæc dixi
 vobis, priusquam fuit, ut quum factum fuerit credatis, quoniam
 ego sum, Ioan. xiiii, 19. VI. Perspectio cogitationum &
 occultorum cordis humani. Nam ut ait Selomoh I Reg.
 iix, 39. Tu Domine solus nosti cor omnium filiorum hominis.
 Ierem. xvii, 10. Ego Iehovah probans cor & scrutans renes.
 Christus verò norat omnes, & sciebat quid esset in homine,
 Ioan. ii, 24. cuius quoque specimen dat Matth. ix, 4. Ipse
 de se ad ecclesiæ Asiae, Apocal. ii, 23. Scient omnes, quod
 ego sum scrutans renes, & probans corda. VII. Patratio mi-
 raculorum propriâ virtute & auctoritate, ut fanatio æ-
 grotorum, ejectio Dæmonum, resuscitatio mortuorum,
 de quibus Christus ipse: Opera quæ ego facio in nomine Patris
 mei, hæc testantur de me. Nam Benedictus Iehovah, Deus,
 Deus Israël facit mirabilia solus, Psal. LXXXII, 18. Omitto
 nunc, quod Ecclesiam colligat & conservet, Sacra-
 menta instituat, peccata remittat, nos justificet, glorificet, & de-

Ioan. x, 25.

mum suscitaturus sit novissimo die : qualia opera divina esse, quis ausit negare ?

XXXI. Septimum & ultimum nostrum argumentum sit hujusmodi. Qui adorandus est, & reliquis divinis cultibus prosequendus, is verus Deus est. Nam *Dominum Deum tuum adorabis, atque illi soli servies*, Deut. vi. 13. Matth. iv. 10. *Neque ipse hanc suam gloriam ulli alteri dabit.* Ies. XLIX. II. Christum autem adorant omnes Angeli Dei, Heb. 1.6. Et in nomine Iesu omne genu flectitur cœlestium, terrestrium & inferorum, Phil. II. 10. Atque ille templum habet, Mal. III. 1. In eum credere & confidere jubemur: in ejus nomen nostræ religionis sacris initiamur: per ejus nomen jurat Paulus, Rom. IX. 1. ei Stephanus commendat spiritum suum, Act. VII. 59. Atque tot argumentis divinitas Filij demonstrata esto.

SPIRITUS
S. DIVINI-
TAS.

Ep. ad An-
toch.

XXXII. SPIRITUS SANCTI divinitatem negant omnes qui Filij negant. Verum parum interesse arbitrantur, utrum si hæc excellentia communicari debeat, unius vel pluribus personis attribuatur. Nam se de unius Dei excellentiâ contendere dicunt; miseri, quibus hoc Ignatij meritò animum percellat: *Quisquis unum & solum adnunciat Deum, ut tollat Christi divinitatem, diabolus est, & inimicus omnis iustitiae.*

XXXIII. Speciatim autem S. Spiritui bellum denunciarunt ~~τρυπανούσι~~, auctore Macedonio exorti. Is Constantio favente, Episcopus Constantinopolitanæ ecclesiæ, post mortem Alexandri ab Acatianis & Eudoxianis, cum quibus Arianam doctrinam profitebatur, remoto Paulo orthodoxo, non sine cæde & sanguine obtrusus est. Vide Socratem lib. II. cap. 12. Theodor. lib. II. cap. 5. Verum non diu hac fortunâ usus, & ob sequitiam alias.

aliasque causas exodus episcopatu, ab ipsis illis, quibus auctoribus eum adeptus erat, deturbatur. Alienoritate ab Arianis factus novum dogma comminiscebatur. *Siquidem Filium Deum esse* (verba sunt Sozomeni) & cum alijs rebus omnibus non substantia Patri similem adserebat: at spiritum sanctum docet non ejusdem partipem esse cum Patre & Filio honoris, sed ministrum & famulum. In eadem cum eo sententiā erant Eleusius, Sophronius & Eustathius Sebastiensis. Marathonius quoque, quæstor publicus, hanc heresin partim studio partim pecuniā adeo auxit, ut non sine causa Macedoniani à nonnullis Marathoniani dicerentur, teste Sozomeno. Vide etiam Nicæphorum lib. IX. cap. 47.

XXXIV. Nos, ut in instituto pergamus, divinitatem Spiritus sancti totidem ferè argumentis, & ex ijsdem fontibus de promis prolixè demonstrare possemus nisi breviti studendum foret. I. Deus simpliciter & rotundè adpellatur. Dicit David 2 Sam. xxii, 2, Spiritum Domini sibi quicunque est esse, & eunidem mox adpellat Deum Israëlis, & fortē Israëlis. Dicit Petrus Ananiam, qui mentitus erat Spiritui sancto, non mentitum fuisse hominibus, sed Deo. Actor. v, 4. Dicit Paulus : *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* ^{1 Cor. 3, 16.} Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Dominus &c. II. Unum esseum Patre & Filio, Ioan. v, 7. III. Collatione utriusque Testamenti, quæ solidum argumentum suppeditat, uti possumus. Iesa. vi, 9. scribitur Iehovah Sebaoth dixisse : *Vade, dic populo huic, audite audientes &c.* At Paulus Actor. ult. vers. 25. Spiritum sanctum hæc dixisse testatur. Levit. XVI, 2. *Dixit Iehovah ad Moseh. Loquere ad Aharen fratrem tuum, ut non ingrediatur in omni tempore*

ad

DE DIVINITATE

32
ad sanctitatem intra velum. At Ep. ad Hebræos c. ix, vers. 8; Spiritum sanctum per hoc significasse dicit, *nondum propositam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.* Sic in libris Propheticis idem repetitur: *Hæc*

dicit Dominus Deus. At Petrus testatur, à Spiritu sancto inspiratos loquitos fuisse sanctos Dei homines. Spiritus

itaque sanctus Dominus Deus est. Sicut quoque Zacharias Benedictum Dominum Deum Israëlis loquutum dicit per os sanctum, qui à seculo sunt, Prophetarum ejus. IV. Tribuitur ei omnipräsentia, Psal. cxxxix, 7. & Omnis scientia, I Cor. ii, 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Item: *Quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei.* V. Adscribitur eidem Creatio, Psal. xxxiii, 6. Iob. xxxii, 1, 4. Iustificatio & Saluatio, I Cor. vi, 11. Prædictio futuronrum, 2 Pet. 1, 21. Gubernatio Ecclesiæ, Act. xx, 28. Largitio & distributio donorum spiritualium, I Cor. xii. VI. Solus Patri & Filio in scripturis annumeratur, ita ut in nomine ejus baptizemur, eiique divinum cultum exhibeamus, adeò ut corpora nostra, quæ membra Christi Paulus dicit, idem templum quoque dicat esse Spiritum sancti. Unde Augustinus: *Noli negare Deum esse Spiritum sanctum, ne templum creature facias membra creatoris.* Et pulcrè alio loco: *Si templum facere Spiritui sancto juberemur, sicut fecit Selenoh de lignis & lapidibus, utique faciendo templum λατρείας illi exhibere convinceremur. Quantò magis igitur λατρείας debemus, cui non templum facimus, sed sumus?*

*I Cor. 6, 15.
& 19.
I cont. Max.
c. ult.
Ep. 66.*

XXXV. Bonum itaque factum Theodosij Magni, qui A. C. ccclxxxi Constantinopi Synodum indixit, quæ oecumenica secunda habetur, in quâ cl. Episcopi damnatis Macedonianis unam eamdemque Patris, Filij & Spiritus sancti divinitatem professi sunt. *Et Canonibus quibusdam*

busdam (verba Nicephori) ecclesiarum exornandarum gratiâ ^{L.12. c.13.}
promulgatis, etiam Spiritus sancti gloriam, utpote similem atque
æqualem Patri & Filio, sancto Nicænae fidei symbolo adjecterunt,
Gregorio Nysseno id quod illi decesset supplente. De eâdem
vide Socratem l. V. c. 8. Theodor. l. V. c. 8. Sozom. l. VII.
c. 7. Tripart. l. IX. c. 12.

XXXVI. Procedit autem Spiritus sanctus à Patre & Filio; & quidem, quoniam per unam æqualem virtutem, ab utroque æquè primò & per se procedit. Quodnam verò sit inter generationem & processionem, sive, si specialiori vocabulo uti libeat, spirationem discriminem, à nemine distinctè explicari potest, sicuti neque propriæ earum rationes à quoquam percipi & declarari. Hoc tamen è Scripturâ compertum est, Filio soli, quia Filius unigenitus est, generationem competere; non item Spiritui sancto. Hujus itaque processionem Theologi spirationem vocabulo ab ipsâ spiritus adpellatione deducto vocant. Nam quemadmodum nomen ipsum Spiritus sufficit ad subsistentiam hujus divinæ personæ significandam, sic quoque nomen spirationis ad declarandam ejus processionem satis est.

XXXVII. Rectissimè verò Athanasius, Quomodo, inquit, gignat Filium Deus, & quomodo Spiritum emittat, curiosè non per vestigio: sed credo Filium genitum à p̄t̄o neq; à trādō: & Spiritum similiter procedere à p̄t̄o neq; à trādō. In quam sententiam quoque Augustinus: Spiritus non dicitur Filius Patris & Filij, sed procedens ab utroque. Quid autem inter Nascenti & Procedere interficit, de illâ excellentissimâ naturâ loquens explicare quis potest? Non omne, quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur. Hæc scio. Distinguere autem inter illam generationem & hanc processionem non scio,

PROCES-
SIO SP.
SANCTE.

t. Dial. de
Trin.

I. 3. cont
Maximin.
c 14.

E

non

DE PROCESSIONE SP.S.

34 non valeo, non sufficio: quia & illa & ista est ineffabilis. Idem
1.9. de Trin. tamen, ut hæc mysteria aliquo modo adumbraret, Filium
per modum intellectus, Spiritum per modum amoris
procedere innuit; unde suarum disputationum originem
sumisere Magister & Scholastici.

XXXIX. Quod autem dicimus Spiritum à Pa-
tre & Filio procedere, de eo jamdudum inter Græcos,
(cum Græcis etiam faciunt Armeni, Rutheni & Mosci)
Latinosque magna fuit controversia. Quando ea ceperit,
exactè sciri non potest. Nonnulli Theodoreto & Nesto-
rianis ejus initia adscribunt. Ille quidem, nono Cyrilli
anathematismo respondens, ita loquitur: *Si Spiritum ex
Filio aut per Filium suam habere existentiam dicit, ut impiam
blasphemiam hoc abijcimus. Credimus enim Domino dicenti:*
Spiritus qui à Patre procedit. Alij referunt ad A. C. 15ccclx,
Joh. 15, 26. & tempora Nicolai I. Pont. Rom. Certè Theophylac-
tus, qui aliquantò post floruit, acriter reprehendit Latini-
nos, quod statuant Spiritum à Filio procedere. Sed & in-
fida & inconstans fuit concordia, inita in synodo Florenti-
nâ A. C. c. 15 ccccxxxix ab Eugenio Antipapâ, quum bi-
ceps esset Romana ecclesia, & ejus tricelimum, suppu-
tante Onuphrio, schisma vigeret, celebratâ.

XXXIX. Nos nostram sententiam contra Græcos
probamus per spiculæ ipsius Christi verbis. *Omnia quæ ha-
bet Pater, inquit, measunt.* Et: *Omnia tua mea sunt.* Unde
sequitur, Spiritum Patris esse etiam Spiritum Filij. Atque
hinc sicut Spiritus Patris dicitur, Matth x, 20. & Spiritus
Dei, Rom. 11 x, 9. Ita quoque Spiritus Christi, Rom. 11 x, 10.
& Spiritus Filij, Gal. 14, 6. Quamobrem eum etiam tam-
quam suum Apostolis donat, Joan. xx, 22.

XL. Præ-

A PATER ET FILIO.

35

XL. Præterea Joan. XVI. 14. ait: *Ille de meo accipiet, & adiunctabit vobis.* Quid autem accipiet nisi scientiam, & si scientiam, quid nisi essentiam? Quidquid enim in divinitate est, essentia est. Eodem capite v. 7. dicit se mis-
surum Paracletum; & quidem à Patre, c. XV. v. 26. Quum autem inter nos & Græcos conveniat, quod Spiritus Deus sit, & ejusdem essentiæ cum Filio, non potest ille mitti per imperium, sicut à majore; neque per consilium, sicut à prudentiore. Mittitur itaque secundum natura-
lem productionem sive processionem.

XLI. Demum Græci Patres ante ortam contro-
versiam sanctitate & doctrinâ clarissimi (quorum auctori-
tatem ipsi imminuere nec volunt nec possunt) Spiritum &
à Patre & à Filio procedere luculentiter testantur. Basilius
dicit, ita se Spiritum habere ad Filium, sicut se habet Fi-
lius ad Patrem; & sicut Patris Verbum est Filius, ita Ver-
bum Filij esse Spiritum, l. V. in Eunom. c. XI. Athanasius in
suo symbolo expressè: *Spiritus sanctus à Patre & Filio, non
factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Chrysostomus
ubi locum Joannisc. XV. v. 26. cui maximè fidunt, inter-
pretatur, ita eum exponit, ut consideratis etiam illis ver-
bis, (ἐν ἡώ πέμψας) dicat: *Ecce, quod non Pater solus, sed &
Filius Spiritum mittit.* Et symbolum Apostolicum dua-
bus homilijs exponens utrâque conceptis verbis *Spiritus
de Patre & Filio procedere testatur.* Cyrillus epistola,
quam ex Alexandrino, quod celebrabat, concilio ad Ne-
storium scripsit: *Spiritus veritatis nominatur, & Christus
veritas est, & emittitur ab eo, quemadmodum ex Deo Patre.
In Thesauro l. XII. c. 2. Ex Filio naturaliter & essentialiter
Spiritus sanctum, sicut ex Patre provenire credimus.* Idem
docet compluribus alijs locis, quos prætero; ut & dispu-

E 2

tatio-

hom. 76. in
Ioan.

tom. 5.

to, inter ep.
Cyrilli.

DE PROCESSIONE SP. S.

36 tationes Scholasticorum, atque inter ceteras hanc: Utrum si à Filio Spiritus non procederet, nihilominus à Filio personaliter distingueretur. Ex ipsis ista qui volet, cognoscat.

I. dist. 10
sc. 12.

Patri ingenito, Patris unigenito Filio, &
utriusque Spiritui, Deo uni
G L O R I A.

DISPUTATIO III.

DE PERSONA ET OFFICIO
CHRISTI.

THESES I.

Gal. 4, 4. F ILIUS DEI secunda persona divinitatis, ubi venit plenitudo temporis, propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus, & homo factus est.

II. Messiam enim & Salvatorem nostrum verum Deum oportebat esse, & verum hominem.

Heb. 2, 14. III. Et Deum quidem, quoniam infinitæ justitiae, quæ finita fuerit, creatura, satisfacere non potest; neque potest nos infinito Deo, placatâ immensâ ejus irâ, reconciliare; neque potest justitiam & vitam æternam restituere; mortem, & per mortem destruere eum, qui habebat imperium mortis, id est, Diabolum; preces exaudire; Ecclesiam regere & defendere: quæ omnia Messiam præstare oportet.

Heb 2, 17. IV. Hominem verò esse conveniebat, quoniam homo erat qui peccaverat, & peccando pœnarum & mortis reus factus erat. Hominem itaque pati necesse fuit, pœnamque & mortem subire. Et debuit per omnia fratribus